

confessione haberet fundatam spem mortem evadendi. Vide, *ibid.*, n. 15 et 16.

(26. Secunda sententia sustinet, non teneri reum fateri suum delictum, si propter illud plectendus sit pœna capitali, vel tritemium, aut alia simili, si nullum grave damnum reipublicæ timeatur, et dicit excusari a perjurio celando veritatem per restrictionem, aut æquivocationem externam. Vide, *ibid.*, n. 17 ad 23.

(27. Advertendum tamen est, quod tunc iudex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter uti principales examinantur, alias examen, et acta omnia nulla sunt eo ipso, et irrita, omnique carent contra reos effectu. Sic novissime statuit Benedictus XIII, in concilio Romano, tit. 13, *De iurejurando*, cap. 2, præcisus iis verbis: « Reprehensibile iudicari non debet, si secundum temporum varietates, ubi id necessitas, vel utilitas exposcat, consuetudines et leges quandoque varientur humanæ; ipse enim Deus, et Dominus, æternus legifer noster, ex iis, quæ Veteri in Testamento statuerat, multa postmodum mutavit in Novo. Stylum itaque in quibusdam curiis sæcularibus et ecclesiasticis nullo unquam jure præceptum, inolevisse perpendimus, ut iudices, sive eorum notarii aut scribæ, reos criminali facinore accusatos, examinaturi, juramentum ab his præstari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana sicuti est experientia compertum, nec in fisci favorem, nec contra reos ipsos, qui ut plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur: adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probetur, imo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulet, ac suadeat: hinc est, quod Nos, rationibus utrinque perpensis, et quamplurimum inhærentes insignium tribunalium praxi, juramentum ipsum, per reos sic criminaliter inquisitos, præstandum, consulto, dum uti principales tantummodo constituuntur, tollendum et submovendum ducimus: prout sacro etiam approbante concilio, præsentem hac constitutione omnino tollimus, ac submovemus; nec juramentum hujusmodi ulla tenus a reis eisdem, nisi tamen ut testes quoad alios examinentur, in futurum per quoscunque iudices et ministros sub quovis prætextu, causa et quæsito colore volumus, exigatur; alias examen, sive constitutum, et omnia nulla sint eo ipso, et irrita, omnique careant contra reos effectu. »

(28. Reus, qui crimen semel negavit injuste, et cum juramento, non tenetur illud confiteri post latam sententiam. Vide verb. *ACCUSATUS* n. 24.

(29. Imo probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, donec iterum interrogetur, nisi imminet damnum tertio. Vide, *ibid.*, n. 25.

(30. Quinimo probabilius est, nec teneri ad se publice retractandum, nec posse ad id obligari a confessario in articulo mortis, quando, non obstante delicti negatione,

reus convictus est, et damnatus ducitur ad patibulum, vel jam in ipso patibulo moriturus existit. Vide, *ibid.*, n. 26 ad 28.

(31. Reus, qui metu vel vi tormentorum mentitus sibi falsum crimen imposuit, ob quod sit morte plectendus, tenetur se retractare, si tali retractatione impediri possit mors ipsius, vel infamia, aut quodlibet aliorum damnum, ob quod negare tenebatur; secus vero si ad hæc nihil prodesset sua retractatio. Vide, *ibid.*, n. 29.

(32. In tali casu quid esset reo consulendum. Vide, *ibid.*, n. 30.

(33. Præsumptus reus ex præsumptione falsa a iudice interrogatus non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientie non tenetur. Vide, *ibid.*, n. 31 ad 42, ubi adducuntur rationes, et exempla, et solvuntur instantiæ.

(34. Reus interrogatus a iudice, ut sub juramento dicat quantum mercis v. g. apud se retineat, excusatur a perjurio, etiamsi cum juramento neget partem mercis, ne solvat gabellam evidentem injustam, supposito quod in iis circumstantiis non interrogetur legitime. Vide, *ibid.*, n. 43.

(35. Non potest reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, quia ultra mendacium, injuste famam alterius destruit. Unde Innocentius XI, die 2 Martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem 44, in ordine: « Probabile est non peccare, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia. »

(36. Reus ultimo supplicio afficiendus tenetur sumere Viaticum. Unde dari ei debet tempus, et commoditas sumendi communionem pro Viatico. *Communis*, per text. in cap. *Quæsitum* 30, et c. *Fures* 31, caus. 13, q. 2.

(37. Hinc ab episcopis per excommunicationem cogendi sunt iudices, ut permittant communicari ultimo supplicio afficiendos. Sic statuisse S. Pium V, testatur La Croix, lib. vi, part. 1, n. 607. (38. Et tali reo debet dari Viaticum, non solum si una hora post sit occidendus, sed etiam licet statim post sit occidendus. Sic La Croix, *loco cit.*, cum Diana, Pace Jordan., Gobat, Lonher, *ibi citatis* per text. in cap. *Is qui* 8, caus. 26, quæst. 6, ibi: « Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. »

(39. Potestque illi dari Viaticum, quamvis non sit jejunos, nec iudex tenetur differre executionem, ut reus jejunos communicet. La Croix, *loc. cit.*, n. 607, et alii communiter. (40. Reus associans sanctissimum Eucharistie sacramentum, seu ad illum confugiens gaudet Immunitate Ecclesie. Sac. congreg. Immun., in *Beneventana*, 30 Septemb. 1638, lib. in *Decr. Pauluc.*, fol. 14.

(41. Reo ultimo supplicio afficiendo non est administranda unctio, quia non est infirmus, ut vult textus *Epistolæ canonice divi Jacobi* cap. v, n. 14, ibi: *Infirmatur*

quis in vobis, etc. Sic communis doctorum.

(42. Reus an et quando teneatur, ac possit fateri seu revelare complicem? Vide verb. *COMPLEX PECCATI*, a n. 10 ad 12.

(43. Reus capi dicitur in fragranti crimine, quando in ipso actu delinquendi apprehenditur. Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. 1, tit. 4, n. 35.

(44. *Reus juridice interrogatus in iudicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Benedictus XIV, tom. III, constitut. 34, incip. *Paterna charitas*.

(45. De favore rei in jure, vid. Jacob. Gothofred., in *Commentar.* ad l. 125, ff. *De regul. juris*.

Novæ Additiones.

(46. * Ut lector, quæ sibi in hoc articulo maxime a num. 22 ad 35, cavenda sint, facile intelligat, quid de quæstionibus his numeris ab auctore propositis probatioris theologi statuatur, summam indicabimus.

(47. Si reus non interrogetur legitime, seu juridice, non tenetur fateri suum crimen; sed potest iudicem eludere absque tamen mendacio. Antoine, tract. *De obligationibus* cap. 5, § 4, quæst. 1, resp. 1.

(48. Reus a legitimo iudice juridice interrogatus tenetur sub mortali aperte veritatem et crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus. *ib.*, resp. 2. V. *Addit. Cas.*, v. *JURAM.* n. 23.

(49. Non potest absolvi reus, nisi veritatem aperuerit saltem ante sententiam; nam quando iudicium durat, censetur eadem interrogatio iudicis durare, ideoque eadem fatendæ veritatis obligatio, et negatione illa injusta causam injustam tuetur. *Ibid.*

(50. Reus interrogatus tenetur etiam complices seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, et bonum commune exigat ut delegantur; nam tunc legitime interrogatur de illis. Secus, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitime, ex l. ult. cod. *De accusat.*, et cap. 1 *De confessis*, nisi crimen exceptum sit, et in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, publicum latrocinium, veneficium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non seit esse emendatos, alioqui non absolvendus; quia hoc saltem charitas exigit. Item tenetur complices detegere, dum legitima consuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis quæ detegi reipublicæ interest, reus de complicitibus interrogetur. Quæst. ead. resp. 2, pag. 374 seq.

(51. Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter. Quia est directe, et positiva causa moralis injustæ suæ mortis, cum falsa sui infamatione directe moveat iudicem ad injustam sui occisionem, estque tam sui homicida, quam qui alteri

falso testimonio mortem infert, est illius homicida. Cum autem homo non sit dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injuste causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi, nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patienti. Quæst. ead., resp. 4.

(52. Innocenti injuste, seu contra ordinem juris damnato licet resistere, sicut licet resistere latronibus, nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur. *Ibid.*

(53. Innocens vero damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundum allegata et probata, licet carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica et scandalo: nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata et probata: tunc enim iudex utitur legitime potestate legitima, cui non licet resistere, et habet jus exsequendi sententiam. Ita Sot., Malder., Covarr., Vasquez, Sanchez, Lessius dicens esse fere communem sententiam. Quod si damnatus posset sine violenta resistentia et scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cum sit vere innocens, § cit., quæst. 3, resp. 4.

(54. Ex communi sententia damnatus ad exsilium, vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eo se conferre et manere in exilio, vel in carcere. Ita S. Thomas, Sanchez, Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad efringendum carcerem. Item damnatus ad multam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si iudex expresse jubeat, ut sine alia monitione reus eam solvat. Quia hæc pœnæ non habent injustitiam, nec crudelitatem ex hoc præcise quod a reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per seipsum exsequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam a iudice damnatus est, præsertim cum talis pœna, ut est carceris, exilii et multæ, non egeat executione alterius; nam quisque tenetur parere justæ sententiæ et obedire superiori justæ, et moraliter possibile præcipienti. Quæst. citat., resp. 6.

(55. Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere; nam succedit in eodem onere bonis affixo. Cum autem jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna quæ nondum fuit debita vivente reo. *Ibid.*

(56. Non pauci censent damnato ad trimes licere fugere, nisi data fuerit fides, præsertim jurata, remanendi. Quia non tam damnatur, ut ibi maneat, quam ut delineatur; et quia nimis esset grave reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere potest, cum in trimesibus manere sit res durissima, quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit religiosus: nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ te-

netur parere præ ato in hac pœna justa ibi præcepta. *Ibid.*

(37. Non potest licite reus juste condemnatus petere a custodibus, et multo minus illos pecunia inducere, ut illum fugere permittant, quia cooperaretur peccato lethali eorumdem contra strictam obligationem, qua tenentur ad custodiam inclusorum. Quod diximus de carceri mancipato, dicendum ducimus de perpetuo tremibus condemnato, cum hæc pœna forte superet pœnam perpetui carceris. Cuniliati, tract. 11, De 8 Decal. præcepto, cap. unic., § 3, n. 11.

(38. Quod autem attinet ad Eucharistiam damnatis capitali supplicio impertiendam, Benedictus XIV, De synodo diœcesana lib. VII, c. 11, n. 3, scribit: « In hac eadem materia, nimirum administrationis sanctissimæ Eucharistiæ, non abs re erit aliquid dicere de eo quod alicubi in dubium revocatur, an scilicet concedenda vel deneganda sit communicatio corporis Christi iis qui ob grave delictum ultimo supplicio damnati sunt. De hac questione fuse egimus in nostro tractatu De sacrificio missæ, sect. 2, § 173, ubi, indicatis variis locorum consuetudinibus, eam sequendam esse insinuavimus, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur, tametsi innuere non omisimus, Chri-

stianæ pietati magis conforme esse, ut vivifici sacramenti participatio iis etiam qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus et alioquin recte dispositis, non denegetur. Nunc autem addendum merito censemus, episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo supplicio afficiendis Eucharistia præbeatur, idque in synodalibus constitutionibus inserere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontificis S. Pio V, qui in epistola ad archiepiscopum Rossanensem, suum in Hispaniis nuntium, quam videre licet inter collectas a Francisco Goubau, lib. II, n. 2, id ipsum ab eo cum catholico rege agendum, eique suadendum mandat. Quodque earum regionum iudices prohibere solebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis communicatio ministraretur, id aperte improbat sequentibus verbis: « (Id nos) sacramentum nempe Eucharistiæ minime esse denegandum censemus, cum Christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra communione muniri, ut, perituro corpore, salutem animæ, quantum fieri potest, subveniatur. »

RITUS.

Super ritibus Ecclesiæ, eorumque observantia hæc, quæ sequuntur, præstat adnotare.

(1. Super ritibus Ecclesiæ eorumque observantia, nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede. Benedict. XIV, tom. I, const. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 14. (2. Ritus paganorum permittit se convertere in ritus et consuetudines Christianæ religionis, inconsulta S. Sede, nemini licet. *Ibid.*

(3. Conjuges catholici diversi ritus, unusquisque proprium sequi possunt, idem constituit. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8. (4. Coniux Latinus ritum conjugis Græcæ sequi non potest. (5. At contra coniux Græcus sequi potest ritum conjugis Latinæ. *Ibid.* Matrimonia inter conjuges diversi ritus, quomodo et coram quibus contrahi debeant? Vide in *supplem.* ad verb. MATRIMONIUM.

(6. Ritus Latinus semel a quocunque susceptus deserere amplius non potest. *Ibid.*, § 7 et 8. (7. Dispensatur cum Græcis de præterito ordinatis ab episcopis Latinis animo retinendi Græcum ritum, ut in hoc permanere valeant. Et, ut id fiat, requiritur dispensatio Apostolica. *Ibid.*, § 7.

(8. Ritus Latinus suscipi non intelligitur per baptismum susceptum a Latinis in casu necessitatis. *Ibid.* const. 88, incip. *Demandatam*, § 18. (9. Græco-Melchitis Latino ritu baptizatis de præterito, permittitur electio ritus. *Ibid.*, § 16. (10. Ritus Ecclesiæ Orientalis, qui fidei et bonis moribus non adversantur, conservandi sunt et ab omnibus tolerandi. *Ibid.*, cit. constit. *Etsi pastoralis*, § 8. (11. Ritus Ecclesiæ

Orientalis observari debent a monachis Ruthenis ordinis S. Basilii. *Ibid.*, const. 89, incip. *Inter plures*, § 24. (12. Sublata cuiuslibet dispensandi facultate. *Ibid.*, *ibid.*

(13. Ritus Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui in casu necessitatis Latino ritu baptizati fuerint. *Ibid.*, cit. constitutione *Demandatam*, § 18. (14. Ritus Græcus in missis et divinis officiis observari debet a Græcis Italiæ, et insularum adjacentium. *Ibid.*, cit. constit. *Etsi pastoralis*, § 9. (15. Functiones solemnes Latino ritu in Ecclesiis Græcorum fieri prohibentur absque licentia ordinarii, et vice versa. *Ibid.*, § 9.

(16. Ritus Græco-Latinus in ecclesia Sanctæ Mariæ del Grafeo vigens perpetuo servari jubetur. *Ibid.*, constitution. 81, incip. *Romana Ecclesia*, § 1 et 2. (17. Ritus Græcorum Melchitarum conservari jubentur, et innovationes in illis inductæ reprobantur et annullantur. *Ibid.*, cit. constit. *Demandatam*, § 3. (18. A ritu Græcorum Melchitarum transitus non permittitur ad ritum Latinum inconsulta Sede Apostolica. *Ibid.*, § 15. (19. Item nec ad ritum Maroniticum. *Ibid.*, § 12.

(20. Ritus Malabarici in nuptiis et matrimoniis, in gestatione *Taly*, et funiculorum ex certo filorum numero, croco delibatorum, in fractione fructus cocco, in separatione mulierum menstruarum et plebeiarum, vulgo *Pareas*, in celebratione primæ puellarum purgationis, in lavacris et ablutionibus, in usu cinerum præter modum et

tempus ab Ecclesia receptum, et omnia signa superstitiosa damnantur et prohibentur. *Ibid.*, cit. constitution. *Omnium sollicitudinum*, § 13 et 14.

(21. Ritus Sinenses sæpe ad examen fuerunt vocati, et præsertim a sacra congregatione de Propaganda Fide, an. 1643, sub Innocentio X, a congregatione S. Inquisitionis 1656, sub Alexandro VII, 1669, sub Clemente IX, ac sub Innocentio XII, quo interim mortuo, Clemens XI, ejus successor, reassumpto examine omnium dubiorum coram se anno 1704, confirmavit, et Apostolica auctoritate comprobavit congregationis responsiones ad omnia et singula quæ sita proposita, quibus ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ patriarcham commissarium, et in Sinarum regno visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earundem observantiam omnibus et singulis missionariis, pœnis quoque canonicis in refractarios indictis, præcipere.

(22. Clemens XI, anno 1714, iterum omnia confirmat et mandat servari decretum editum a cardinali de Tournon; rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas. Declarat eo decreto nihil additum vel detractum responsionibus datis anno 1704. Vetat publicari scripta super ritibus Sinensibus absque licentia S. Sedis. Publicata vero prohibet sub pœnis et censuris in regulis indicis librorum prohibitorum contentis. (23. Idem Clemens XI, præfatas responsiones edita constitutione incip. *Ex illa die*, confirmat, et præcepto arctissimo sub censuris, et pœnis mandat ejusdem decreti executionem, de qua missionarii juramentum præstare jubentur, et donec illud præstiterint, eisdem suspenduntur facultates, et juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem statuit transmitti, demandata superioribus regularibus, cujusvis ordinis et instituti, eorum omnium plenissima executione.

(24. Carolus Ambrosius Mediobarbus patriarcha Alexandrinus, et in Indiis Orientalibus, ac Sinarum imperio, finitimisque regionibus, et insulis commissarius et visitator generalis Apostolicus cum facultate legati de Latere, vix Sinarum regnum ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut contactus fuerit in publicum emittere permissiones octo circa ritus Sinenses, prohibita tamen eorum promulgatione, et versione in linguam Tartaram, aut Sinicam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quibus permissionibus nihilominus contra expressam adeo patriarchæ ipsius voluntatem evulgatis per binas suas pastorales ab episcopo Pekinensi mandante universis diœcesis suæ missionariis, ut observarent et observari præcipere constitutionem Clementis XI, incip. *Ex illa die* juxta dictas permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quæ in præcitata constitutione fuerant solemniter interdicta, hinc Clemens XII, anno 1733,

binas illas epistolas Apostolice promulgato brevi damnavit ac reprobavit, commisso interim examine dictarum permissionum congregationi S. Inquisitionis, auditis missionariis, aliisque.

(25. Deinde Benedictus XIV, die 11 Julii 1741, auditis cardinalibus et sacre Inquisitionis consultoribus, examen hujusmodi coram se, et respective per se ipsum absolvit et declarat permissiones illas nunquam a S. Sede approbatas fuisse, imo ejus decisionibus adversari, ac easdem permissiones reprobare et annullare, earumque praxim damnare; quæcumque a Clemente XI, definita sunt, aliter explicari vetat; præsentium observantiam et executionem omnibus et singulis injungit atque demandat sub gravissimis pœnis, missionarios inobedientes in Europam revocari jubet, comminatis in superiores Ordinum pœnis, si huic præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint; præscribit novam juramenti formulam ab omnibus missionariis omnino observandam, ipsamque tradit in tom. I, const. 19, incip. *Ex quo*, in qua plurima ad rem merito observanda.

(26. De ritibus Sinensibus constitutio, non obstantibus quibuslibet rationibus aut subterfugiis observari debet, ut expresse mandat, ac præcipit idem Benedictus constit. 114, incip. *Redditæ Nobis*.

(27. Sacrorum Rituum congregatio distinguitur in generalem et ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum cardinalibus quotquot eidem congregationi ascripti sunt, omnibusque ipsius congregationis consultoribus, atque in ea agitur de servorum Dei virtutibus, martyrio aut miraculis recognoscendis et approbandis. Ordinariam vero constituunt soli cardinales cum ipsius congregationis secretario, cum protonotario Apostolico et promotore fidei; atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a servis Dei, quorum beatificatio promovetur. Benedict. XIV, tom. II, constitution. incip. *Postulatum*.

(28. In congregatione sacrorum Rituum unus consultoris locus perpetuo tribuitur presbyteris Societatis Jesu. *Ibid.*, tom. II, constit. 29, incip. *Constantem*.

(29. Idem in eadem congregatione unus consultoris locus perpetuo tribuitur ordini clericorum regularium Theatinorum. *Ibid.*, tom. I, const. 125, incip. *Insignem*.

(30. Consultores congregationis sacrorum Rituum eliguntur a Summo Pontifice ex cætu prælatorum Romanæ Curie, et ex clero sæculari et regulari. Benedict. XIV, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, lib. I, c. 16, n. 13. (31. Consultores congregat. sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quoddam determinatum officium assequuntur, intelliguntur etiam facti consultores dictæ congregationis; et isti sunt episcopus Apostolice sacrarii, vulgo sacrista, protonotarius congregationis sacrorum Rituum, tres antiquiores Rotæ auditores, auditor Summi Pontificis, assessor sanctissimæ